

est iniuste acceptum, non datur obligatio restituendi, cum nullus jus sit laicum: si est, si accipiens poeniteat de mala intentione, qua illud accipit. *c. fin. h. s. ibid. Gonz. n. 3. cum Suar. contra alios.*

56 Pretium simoniae acceptum ejus Domino restituendum est, qui laesionem patitur, & non aliter censetur voluisse dare, quam ut pretium ad rem spirituales emendam, ac proinde si ipse pretium gratis cedat vendenti rem spirituales, hic non tenetur restituere, donec per sententiam illud ab ipso, imò, & a suo Domino in criminis poenam, auferatur, & Ecclesiae, vel pauperibus applicetur. Sic igitur ex Jure Ecclesiastico. *c. 11. h. t.* pretium in collatione beneficii datum restituendum est Ecclesiae, in qua est situm beneficii, vel pauperibus, si superior ita disponat. *D. Thom. 2. 2. q. 100. art. 8. ad 3. Suar. de Simoni. lib. 4. Quae omnia habentur in tot. tit. 17. p. 1. & latius in tot. caus. 1. per septem quest. tractantque Moraliste ad titulum de Sim. Vid. Lacr. L. 3. p. 1. ex n. 56.*

## TIT. IV.

Ne Praelati vices suas, vel Ecclesias sub annuo censu concedant.

57 Prohibetur in praesenti ne Praelati, beneficiati, vel alij Officiales Ecclesiasticos vices suas, hoc est jurisdictionem, vel potestatem Ecclesiasticam curam animarum, consecrationem, dispensationem, vel administrationem Ecclesiasticam annexam ipsis Praelatis, vel Beneficiis Ecclesiasticis concedant, vel locent pro temporali pensione praecipue pecuniaria, singulis annis solvenda, quae nomine census annui in praesenti Rubrica intelligitur: nam simoniam committunt, si quid spirituale, vel spirituales annexum cum re temporali permittant. *c. 1. c. 2. c. 3. h. t. Frid. sess. 25. de Reform. cap. 1. L. 8. tit. 17. p. 1. ibi: Arrendar non puede el Prelado sus vices, nin poner Vicarios por precio en su lugar. Et Gregor. Lop. ibid. Potest amen quis locare fructus, & proventus praedictorum, imò & ipsa praedicta pro annua pensione ad breve tempus. c. 9. de Rebus Eccles. c. 2. de Locat. & conuict. Extr. ambrosio de Reb. Eccles. int. com. tunc enim temporale pro temporali commu-*

tatur, & hac ratione potest Praelatus, cujus Monasterio est beneficium incorporatum à Vicario pro integris fructibus ei relinquendis annuam pensionem nominatam absentiae, vel alio quocumque titulo accipere.

58 Episcopus potest, remittendo jurisdictionem, vel concedendo Ecclesiae, alias sibi subjectae, exemptionem, aliquid recipere, non tanquam pretium jurisdictionis remissa, sed in recognitionem antiquae subjectionis, & in signum libertatis acceptae. *c. 15. de Simon.* Potest similiter dare Vicario Generali in spiritualibus annuam pensionem pecuniariam. *c. 30. de Præbendis, & dignit.* Non pro jurisdictione exercenda, sed tanquam sustentationis. *c. 28. de Appellat. c. 3. de Cler. egrot. nec proprijs stipendijs quisquam militare tenetur. 1. Cor. 9. v. 7. Qui contra praesentem prohibitionem vices suas sub annuo censu concedit, potestatem conferendi privatur, & canonica districtione percellitur, hoc est deponitur, vel suspenditur pro qualitate delicti, quamvis sit Episcopus. Dans pecuniam pro officio, illud sic obtentum amittit, & removetur à Clero. *c. 1. c. 2. h. t. & tam dantes, quam accipientes pecuniam pro jurisdictione Ecclesiastica exercenda excluduntur ab Ecclesia, in eorum contumeliam hoc fecerunt. c. 38. de Simon.**

## TIT. V.

De Magistris, & ne aliquid exigatur pro licentia docendi.

59 Maximè Reipublicè expedit tenebras ignorantiae luce scientiarum expelli: nam ut ait Alfonso noster sapientissimus Rex in princ. *t. 31. p. 2. Porque de los omnes sabios, los omnes, & las tierras, & los Reynos se aprovechan, & se guardan, & se guian por el consejo de ellos. c. 2. de Privileg. in 6. ibi: Cum de diversis mundi partibus multi confluunt ad Sedem Apostolicam, quasi matrem, nos ad commune, tam ipsorum, quam aliorum omnium commodum, & profectum, providimus, quod ibidem de cetero regatur, & vigeat studium juris Civini, & Humanitatis, Canonici videlicet, & Civiliis. Et ideo tanta sollicitudine studia in Civitatibus exiguntur. Duplex ergo potest esse studium, aliud*

aliud est particulare, in quo scilicet privatim ab aliquo Magistro certo loco docetur, aliud est generale, quod etiam Universitatis, & Academia dicitur, quod scilicet privilegio Papae, vel Regis est erectum, ut ibi sint Doctores, & Magistri Canonum (in his etiam Sacra Theologia comprehenditur) Legum, Astrologiae, Geometriae, Arithmeticae, Logicae, seu Philosophiae, & Grammaticae. *L. 1. t. 31. p. 2. & ut notat Gregor. Lop. ibid. ex Palud. & Cardinal.* Si alicubi legantur Theologia, & liberales Artes est signum studij generalis. Etiam erit studium generale, si jus Canonicum, & Civile ibi doceantur. *c. 2. de Privileg. in 6.* Studia generalia toto Orbe celeberrima, & ut talia in corpore juris inclusa sunt Universitates nostra Salmatina, Parisiensis, Oxoniensis, & Bononiensis. *Cl. 1. h. t.* Qui enim in studio literario perseverantia constanti currunt, tres solent obtinere lauras. 1. assequuntur Baccalaurei; sic dicti à bacca lauri, seu frondibus baccatis lauri, quae sic promotis concedebantur. *Mendo de Jur. Academ. lib. 1. n. 285.* Secundam assequuntur licentiatum, sic dicti à licentia, seu facultate supremum Doctoratus gradum, cum voluerint capessendi; ac proinde privilegij, & praerogativis Doctorum, in favorabilibus gaudent, admittendique sunt ad omnes dignitates, ad quas DD. admittuntur; *arg. L. 43. ff. de Testam. Militar.* Ubi proximè accingendus pro accinto habetur, ut privilegium militari ad testamentum faciendum gaudeat, ut *ibid. notat. Gothofr.* nisi expressè requiratur, quod gradu Doctoris sint insigniti: sicut Jus Canonicum requirit Doctoratum ad aperiendas, & exequendas litteras Apostolicas. Tertiam assequuntur Doctores: ita dicti, quia habent ab aliqua Academia suae doctrinae testimonium, ut possint consuli, & eorum judicio fidatur, quasi approbato publice ab Academia.

60 Hi Doctores solent etiam appellari Magistri, sed in nostra Hispania Magistri nomen Philosophis est relictum, & nomen Doctoris tantum retinet, qui in Theologia, in jure, vel Medicina supremum obtinent gradum. Hi omnes birreto, mizeta, & annulo, aliisque insignibus ornantur, sed per varios colores distinguuntur. Theologi enim albo, Canonista viridi, Jurista purpureo, Philosophi caelesti colore, tam in serico pilei, quam infimbria mizeta, utuntur. Sicut olim, qui in Ludis Olympicis ad

metam percurrerant, coronabantur olea; sic Virgilius *Aeneid. 3. Tres praemia primi accipient, flavaque caput nectentur oliva.* Etiam Milites, & Duces pro facinororum varietate, his coronis decorabantur. Hinc Appollo Daphnem in laurum conversam sic alloquitur:

*Tu ductibus latis aderis cum laeta triumphum, Vox canis, & longas visent Capitolia pompa.*

In vulgari tamen acceptance, ad quemcumque Praeceptorem extenditur nomen Magistri. *L. 57. ff. de V. S.* Cui enim praecipua cura rerum incumbit, & qui magis, quam caeteri diligentiam, & sollicitudinem rebus, quibus praesunt debent, hi Magistri appellantur: Unde etiam cuiuslibet disciplinae Praeceptores Magistros appellamus à monendo, vel monstrando *Virg. 1. Georg. Pan curat oves, oviumque Magistros.* Qui Philosophiae gradum accipiunt liberalium Artium Magistri indigitantur, Artes liberales praecipue hoc verum comprehenduntur.

*Lingua, Tropus, Ratio, Numerus Sonus, Angulus, Astra.* Quarum mizeta sic explicantur:

*Gram. loquitur, Dia. vera docet, Rhet. verba colorat.*

*Mus. canit, Ar. numerat, Geom. ponderat, Ast. colit Astra.*

61 Pontifex potest creare DD. in Sacra Theologia, & Jure Canonico, quia sunt scientiae ex suo sine spirituales. Reges, & alij Principes in temporalibus non habentes superiorem possunt gradum concedere in Jure Civili, Medicina, & Philosophia; & aliquando hanc potestatem exercuerunt, teste *Mendo de Jur. Acad. lib. 1. n. 73. & 36.* Doctores possunt creari omnes, qui non prohibentur, debent tamen esse 1. mares: nam femina, cui non licet docere, non est doctoranda. *c. 17. 33. q. 5. L. 2. ff. de Reg. jur. 2.* Debet esse Catholici: nam à tali gradu in quacumque facultate Judaei excluduntur; *arg. L. fin. C. de Judaeis. 3. Majores 17. annis; arg. L. 1. §. 1. ff. de Postul. Magis tamen, quam atas, licentia debet attendi, ita ut haec suppleat aetatem; *arg. c. fin. de Desponsat. impuber. 4.* Debet habere saltem scientiam sufficientem. Et cum ejus defectus in grave damnum proximorum, qui eorum judicio fidunt, vergat, vix à peccato gravi possunt excusari, qui indignos ad talem gradum promovent. *Mendo de Jure Academ. lib. 1. n. 365.* In aliquibus universita-*

tatibus excluduntur illegitimi. In omnibus excludi debent infames, sive infamia juris, sive facti sint gravati, quia gradus est dignitas, vel honor, cujus infames non sunt capaces. *c. 87. de Reg. jur. in 6.* Denique in Doctoribus, & Magistris, præcipue in eis, qui actu legunt, & docent, magis quam facundia, & scientia debet attendi honestas, & integritas morum. *L. 7. C. de Profef. & Medic. lib. 10.*

62 Pontifex, & Supremi Principes hanc potestatem communicarunt Academicis, & Universitatibus Generalium studiorum, & eam per assignatos ad hoc munus in unaquaque Universitate, exercent, etiam si tales careant gradu, quem conferunt. In nostra celeberrima Salmantina Universitate gradus confert Scholasticus, seu Magister Scholæ. *Gonz. in c. 4. b. t. n. 5. Mendo de Jure Academ. lib. 1. n. 171.* in Parisensi Carcellarius Academicæ: in Bononiensi Archidiaconus Ecclesiæ Majoris. Etiam solent Pontifex, & alij Principes hanc facultatem alijs concedere. Sic Rector hujus Manilensis Societatis Jesu Collegij confert gradus, etiam supremos in Philosophia, & Theologia, ex privilegio Pontificio, & Regio. *L. 2. tit. 22. lib. 1. Recop. Ind.* Et hanc nostram Academiam de novo confirmavit, lectionemque Sacrorum Canonum, & Institutionum Civilium die 23 Octob. ann. 1733. concessit, & auxit noster Potentissimus Monarcha Philippus V. de quo certè dicere possumus: *Non illo melior quisquam, nec amantior equi vir fuit.* Et demum amplissimam facultatem gradus conferendi N. S. P. Clemens XII. indulxit die 6. Decembr. ann. 1735. in Const. quæ incipit: *Militantis*, quam in nostræ Universitatis Constitutionibus, quibus coordinandis, & adendis nunc indefesse incumbo ad litteram dabo: & juris publici fiet.

63 Ut gradus alicui conferatur, præcedere debet examen, ut ejus scientia nota fiat. *L. 7. C. de Profef. & Medic.* Si de ejus sufficientia constat, potest examen remitti: debet fieri professio fidei. *L. 14. tit. 22. lib. 1. R. Ind. & in L. 15.* jubetur, quod graduandus juret defendere opinionem piam circa Conceptionem *B. V. M.* si in Universitate est jurata. Et prædicatur in hac nostra Manilana Academia Soc. Jesu. Et in ipsa promotione, seu inauguratione debent tradi ipsi candidato Doctoralia insignia, & cum hac actio gradum recipiendi sit

personalis, neminè potest per Procuratorem fieri; *arg. L. 123. ff. de Reg. jur.* Deinde *Clem. 2. b. t.* præcipit, ut a Doctorandis exigatur juramentum, quo promittant, se non impensuros in tali inauguratione ultra tria millia Turonensium argenteorum, seu ducentos quinquaginta aureos. Sed hæc constitutio vix usum habet, præcipue in nostra Salmantina Universitate. In congressibus, & suffragijs ferendis primum locum obtinent DD. Theologi. 2. DD. juris. 3. Medici. Ultimam Philosophi, nisi aliud suadeat consuetudo, ut in nostra Salmantina Universitate obtinet; ibi enim inter DD. Theologiæ, & juris ille in loco præferatur, qui in gradus susceptione est antiquior. *Mendo, lib. 1. de Jur. Acad. n. 300.* Ille qui pluribus gradibus decoratur, si unus saltem sit æqualis illi, quem alter habet, ei præferatur; v. g. Doctor Theologiæ, & Juris Canonici præferatur Doctori tantum Theologo. Doctor tamen utriusque juris Doctori Theologo non præferatur: quia gradus juris est inferior gradu Theologico.

64 Cujuscumque facultatis Doctores à plebeja conditione eximantur, nobiles sunt, eorumque privilegijs gaudent; *arg. c. 28. de Prob. lib. 7. C. de Postul. & in dignitate constituuntur; arg. c. 3. b. t. Ch. 2. eod.* singulari honore, & reverentia affici debent; *arg. L. 2. L. 3. C. de Offic. divers. Judic.* Testimonij causa non debent ad Tribunal vocari; sed in eorum domibus, sunt examinandi; *arg. L. 15. ff. de Jur. jur.* in testimonio dicendo magis attenditur dictum Doctoris, quam alterius, hæc dignitate carentis. *Menoch. de Arbitr. cas. 96. n. 9.* Eximuntur à muneribus realibus, & personalibus, ut ab onere milites hospitandi. *L. 6. l. fin. C. de Profef. & Medic.* Non possunt ob æsalium incarcerationi; imò etiam quando rei criminis sunt, non incarcerari publico, sed in alio decenti loco debent custodiri; *arg. C. fin. de Penis*, nec sunt torquendi, nisi in criminibus exceptis. *Menoch. de Arbitr. cas. 23. n. 22.* nec sunt supplicio ignominioso afficiendi, ut laquei, vel fustigationis, vel tiremium poena, sed si poenam merentur capitalem, gladio puniuntur; *arg. L. 9. §. 11. ff. de Penis.* Doctores præ cæteris ad dignitates Ecclesiasticas, & Sæculares promovendi sunt; *arg. c. 7. de Elect. c. 28. de Prob. bend. Trid. sess. 24. de Reform. cap. 12.* & in gratijs de eodem beneficio factis in pari data præferuntur graduati non gra-

duatis, & inter graduatos magis graduati, & inter æquæ graduatos prius graduati.

65 Professores, qui actu docent, quamvis juniiores, alijs non professoribus præferuntur; *arg. L. 1. C. de Consul. Professoribus* militat præsumptio singularis doctrinæ, consenturque tanquam oraculum civitatis: & ut facilius studijs vacent, possunt impedire, ne in illo vico fabri obstrepentes admittantur, non tamen possunt expellere eos, qui ibi erant antequam ipsi domum conduxissent. *Menoch. de Arbitr. cas. 236.* Denique in *L. 8. tit. 31. p. 2.* referuntur varia privilegia Doctorum. Qui publicè in Universitate Theologiam, etiam voluntariè, & sine stipendio docent, etiam absentes à suis Ecclesijs, & beneficijs, integros fructus percipiunt. *c. fin. b. t. Trid. sess. 5. de Ref. cap. 1. Garc. de Benef. p. 3. c. 2. n. 60.* non verò distributiones quotidianas; *arg. c. 32. de Prebend.* nisi dic, quo legunt, vel si hoc consuetudo Ecclesiæ concedat, vel nisi beneficij fructus, vel major eorum pars in his distributionibus consistat, idem est de docentibus publicè Jus Canonicum, ut declaratum à S. Congregatione, testatur *Garc. de Benef. p. 3. c. 2. n. 54.* Qui enim has sacras facultates explicant, & docent magis profunt publicè Ecclesiæ utilitati, quam si in loco beneficij residerent. Idem privilegium ad alias facultates pro nostra Universitate Salmantina extendit *Eugen. IV.* Professoribus, qui ob morbum, vel senectutem legere nequeunt, integrum debet solvi stipendium: imò si intra annum moriantur post lectiones inchoatas, integrum salarium debetur, etiam si hoc per angarias, aut mentes præstaretur: quod ad hæredes transmittitur. *Mend. de Jur. Acad. L. 1. n. 311.* His prærogativis gaudent etiam male promoti, & DD. Bullati, qui à Supremo Principe prævio Academicorum examine per rescriptum, gradum obtinuerunt, secus ille, qui à Comitibus Palatinis promoti sunt, prætextu facultatis à Sede Apostolica concessæ: nam tales quoad Ecclesiasticas Dignitates, & beneficia nulla prærogativa gaudent. *S. Pius V. in Const. Quamvis, 1568. arg. Trid. sess. 22. de Ref. c. 2.*

66 In Ecclesijs Cathedralibus Metropolitanis debet Prælati cum consensu Capituli Magistrum Theologiæ deputare, ut Clericos Sacram Scripturam doceat, & ea, quæ ad Curam animarum spectant. In Cathedralibus non Metropolitanis, &

in Collegiatis debet deputari Magister, qui Clericos, & alios Scholares pauperes Grammaticam doceat. *c. 1. c. 4. b. t. Et Trid. sess. 5. de Ref. cap. 1.* decrevit, ut in quacumque Cathedrali, imò & Collegiata, quæ in Oppido insigni existat, & etiam in Monasterijs, in quibus id commodè fieri possit, Magister deputetur, qui Sacram Scripturam, vel Theologiam doceat, & ipsi præbenda, quæ est dignitas, est assignata, & Canonicus, qui eam obtinet dicitur *Scholasticus*, & *Magister Scholæ*, *c. 3. b. t.* de quo jam diximus. Ad hanc præbendam posse etiam Canonistam admitti sapè sapius declaratum est à S. Congreg. apud *Pignatell. tom. 1. conf. 147. n. 1. & 17.* nam Jus Canonicum est pars Theologiæ, & etiam Theologia practica dicitur: siquidem Canonista Sacram Scripturam, ex qua desumpti sunt Sacri Canones, & regulas Theologiæ Moralis, explanant, Clericisque, & fideles, in his, quæ ad salutem, & curam attinent animarum, tam in foro interno, quam externo instruant, ut jam diximus.

57 Indignum equidem, & turpe foret pretium a viris doctis extorquere pro facultate docendi disciplinas, & scientias, quæ adeo utiles sunt Reipublicæ, cum potius honoribus, precibus, & præmijs invitari debent, ut suæ scientiæ Theaurum ad publicam utilitatem aperiant: nam per litterarum cognitionem (ait *Plutarch. de Instit. liber.*) *Nosse licet, quid honestum, quid turpe, quid iustum, quid iniquum, quid expetendum, quid fugiendum, quemadmodum erga Deos, quemadmodum erga parentes, qui erga majores natu, qui erga Leges, qui adversus Magistratus, qui adversus alienos, qui adversus amicos, qui adversus conjuges, qui adversus servos nos gerere debeamus; Deos, ut colamus, parentes, ut veneremur: majores natu, ut revereamur: Legibus pareamus, Magistris obedientes simus, amicos diligamus: caste cum conjugibus agamus, pietatem in liberos exercemus: in servos non severiamus, & quod caput est, rebus secundis, ut non exaltemur, neque nimium animam contrabamus rebus asperis, neque in voluptatibus gestiamus, nec ira exardescamus, vel esserati simus.* Ideo prohibitum est in prætenti Rubrica (quæ cum faciat sensum perfectum, vim juris habet) ne aliquid exigatur pro licentia docendi. Qui verò aliter faciat, id quod accepit restituere jubetur, & privatione Dignitatum, & beneficiorum Ecclesiasticorum

punitur, nec ulla consuetudine potest hæc exactio coonestari. *c. 1. e. 2. c. 3. h. t.* in omnibus universitatibus usu receptum est pro gradibus conferendis in omnibus facultatibus, pecuniam, & stipendia. *Hispans: Propinas: accipere, & majora quidem in celebrioribus Academicis; non tamen pro licentia docendi, sed pro honoribus, & emolumentis temporalibus, quæ graduati consequuntur: in quo nulla est turpitudine, ac proinde nulla prohibitio. Mendo de Jur. Acad. lib. 2. quest. 11. Conz. in c. 4. b. t. num. fin.*

68 Licet prohibitum, & turpe sit, aliquid pro licentia docendi exigere, non tamen est simonia, nisi hæc licentia proveniat à potestate spiritualis jurisdictionis; si v. g. lecturæ sit annexum aliquod beneficium Ecclesiasticum, secus aliter: nam gradus litterarum solum continent dignitatem, & privilegia, quæ sunt, quid temporale pretio æstimabile. *L. 10. tit. 17. p. 1. ibi: Otrofi aquellos, que han poder de dar licencia à los Scholares para ser Maestros, no lo deben hacer por precio; è si solo ficiereu çomo quier que non fariàn simonia, çarrian por ende en gran pecado, que dicen en latin crimen concustionis, que quier tanto decir, como en manera de movimiento de amenza. Si responsum, vel instructio ordinaretur ad hæreticos, vel infideles convincendos, ad conscientias interrogantium liberandas à scrupulis, ad absterrendos peccatores à culpis, ut faciunt confessorij, Concionatores, & catechistæ, cum hæc actiones ex suo fine sint supernaturales, esset simonia aliquid temporale pro eis exigere, vel accipere. *D. Thom. 2. 2. q. 100. art. 3. Suar. lib. 4. de Simon. c. 18. n. 22.* Non verò committitur simonia pro actu docendi Jus Civile, Medicinam, vel Artes liberales, cum in earum facultatum explanatione nihil spirituale, vel spirituali annexum reperitur: imò neque pro docendo Theologiam, seu Jus Canonicum, nec pro consilio Theologico Canonico, vel morali præstando, ut sit regulariter in Scholis, quia hæc facultates solum ordinantur ad illustrandum intellectum audientium, eorumque memoriam juvandam, & difficultatem in eis adiscendis minuendam. *L. 10. tit. 17. p. 1. ibi: Si lo demandasse, è lo tomasse, sería como simonia: mas los Maestros, que non reciben beneficios de las Eglefias, bien pueden tomar soldada de los Scholares, que demonstassen. Et ut ibidem votat Greg. Lop. non dicitur proprie est**

simonia, cum stricto modo, largo tamen modo sit.

## TIT. VI.

## De Judæis, &amp; Sarracenis eorumque servis.

69 **A** Gimus in præsentem de Judæis, & Sarracenis, & incidenter de alijs infidelibus. Infideles dicuntur, quicumque, & quomodocumque, non sunt fideles. Et certè per infidelitatem fides amittitur. *Trid. sess. 6. de Justificat. c. 15.* per infidelitatem communis intelligitur peccatum mortale, quod est directe contra fidem, & illius formali objecto opponitur. Et quamvis opera infidelium, quando ad suæ infidelitatis finem ordinantur, sint peccata. *D. Thom. 2. 2. q. 23. art. 7. ad 1.* tamen si ex fine honesto aliquis actus ab ipsis fiat v. g. succurrere miseris, obedire parentibus, &c. minimè peccatum est, ut contra varios errores definitum est: nam inter propositiones Baij damnatas à S. Pio V. Greg. XIII. hæc est 25. Omnia opera infidelium sunt peccata; & Pöblosophorum virtutes sunt vitia. Et Alex. VIII. hæc propositionem, quæ est 8. damnavit. *Necessè est, infidelem in omni opere peccare.* Infidelitas genericè accepta triplex est. 1. *Negativa*, in qua misere jacent, illi qui nihil unquam audierunt de fide. Et hæc non tam est peccatum, quàm pœna peccati. Deus enim eos lumine Fidei illustrasset, si quod in ipsis est fecissent. 2. Est *Privativa*: quia privativè fidei opponitur, & est ignorantia culpabilis, vel error circa res fidei. 3. Est *Contraria*, & est eorum, qui fidem contemunt, vel ei pertinaciter contradicunt, post ejus sufficientem propositionem. Hæc est triplex ex triplici modo repugnandi fidei: *Paganismus* scilicet, *Judæismus*, & *Hæresis*. *D. Thom. 2. 2. q. 10. art. 5. Suarez de Fide, D. 16. scilicet. 5. n. 8. Castropal. tr. 4. D. 2. p. 1. n. 8. Atheismus*, qui nullum Deum recognoscit, reducit ad Paganismum, quia utrumque Testamentum negat. *Apostasia*, per quam quis in totum deficit à fide, ad hæresim reducit. Paganismus est error fidei nondum susceptæ repugnans. Sic Gentiles, & Pagani, qui non sunt baptizati negant veritates, & Mystra veteris, & novi Testamenti. Huc reducuntur Sarraceni, sic dicti à Sara

Sara uxore Abraham, à qua originem se trahere fingunt, cum ipsi ab Agar ejus serva descendant, ac proinde Agareni debent vocari. *L. 1. tit. 25. p. 7. ibi: Sarraceni en latin, tanto quier decir en romance, como Moro; è tomò este nome de Sara, que fue muger libre de Abraham, como quier que el linage de los Moros non descendiese de ella, mas de Agar, que fue servienta de Abraham.* Hi Alcorano impij Mahumeti obstinatissimè adherent. Tales sunt Mauri, Turcæ, Arabes, &c. eorum templa *Mezquita* appellamus. *L. 1. tit. 25. part. 7.* Duplex eorum est Secta. Alij enim nec novo, nec veteri Testamento credunt; alij admittunt quinque libros Moyfis, & Samaritani nuncupantur. Judaismus est error fidei in typo susceptæ repugnans. Si Judæi (sumpta hac voce non solum pro Natione descendente à Tribu Juda, sed etiam per Secta) solum veteri Testamento adherent, quin credant Christum venisse, sed sperant ipsum venturum. Umbram adorant, scilicet Legem veterem: sed corpus contemunt, scilicet mysteria novi Testamenti, quorum erant umbra, & figura præcepta caeremonialia, & judicialia antiqua. *L. 1. tit. 24. p. 7. ibi: Judæo es dicho aquel, que cree, è tiene la Ley de Moysen; segun suena la letra de ella, è que se circuncida, è hace las otras cosas, que manda su Ley; è tomò este nome del Tribu de Judá, que fue mas noble, è mas esforzado que los otros Tribus.* Et ut ibidem notat Gregor. Lop. etiam dicuntur Hebræi ab Heber, cujus familia cultum tenuit unius Dei, cæteris idolatria fœdatis.

70 Jure Naturali, & Divino est prohibitum fidelibus communicare cum Infidelibus in suis sacrificijs, orationibus, cultu superflitioso, alijsque ritibus: quia hæc omnia intus sunt mala, nec aliqua ratione possunt coonestari, potest tamen fidelis Judæorum Synagogas, & templa Gentium ingredi, ut videat structuram, & eorum ornatum: dum non ingrediatur tempore, quo suas caeremonias, ac superstitiones exercent. Ex fine bono; v. g. ad eorum ritus confutandos, potest quis ingredi. Si tamen ex vana curiositate, quis ingrediatur, ut eorum caeremonias videat, si absit scandalum, & perverfionis periculum, tantum erit peccatum veniale. *Sanchez in Decal. L. 2. cap. 31. n. 18.* Quamvis non possit Christianus azymis Judæorum etiam seorsim ab eis vesci, quate-

nus talis panis est cibus Judæorum discretivus. *c. 8. 32. q. 4.* Potest tamen quis eis vesci in necessitate, quatenus est simplex panis. Sicut etiam potest vesci idolothitis, seu cibus consecratis idolis. *Gloss. in c. 8. 32. q. 4. V. Fama.* Nullus potest, Jure Divino repugnante, Judæum, vel Infidelem ad Sacramentorum participationem admittere: quia cum non sit baptizatus, est eorum incapax. Nec ad sacrificium Missæ potest admitti, ex prohibitione Juris, nisi ad Missam Cathecumenorum. *c. 67. de Consecr. D. 1.* vel nisi specialis fructus speraretur.

71 Nec licet Christianis cohabitare Judæis. *c. 13. 28. q. 1. c. 5. h. t.* nec ad eorum convivia accedere. *c. 14. 28. q. 1.* nec ludos, nuptias, aut choreas eorum adire. *Sanchez in Decal. L. 2. cap. 31. n. 17.* apud Judæum cauponem, vel cum alio Judæo in idem hospitium concurrente, licet potest Christianus vesci: Nec uti eodem balneo simul, hoc est eodem tempore cum ipsis, possunt Christiani: nec item Medicos, nec Chirurgos Judæos, nec medicamenta ab ipsis preparata adhibere. *c. 5. h. t.* Potest tamen quis à Judæo medicinas emere, dum illas ipse non præparet, vel saltem non applicet: Christianus tamen potest Judæis medicinam, etiam extra casum necessitatis applicare: cum hoc nunquam reperitur prohibitum, ut tenet *Castrop. tr. 4. D. 2. p. 9. n. 11.* contra *Sanchez in Decal. lib. 2. cap. 31. n. 10.* Christianus non potest Judæo servire. *c. 5. c. 8. h. t.* tum propter familiaritatem vitandam: tum maxime, quia non decet contra Apostoli dictum, quod filij liberæ quales sunt Christiani, serviant filijs ancillæ, ut sunt Judæi. *c. 13. h. t.* Nec Judæis permittitur mancipia, & servos Christianos habere. *c. 1. c. 5. c. fin. h. t.* possunt tamen ad scriptitios, & originarios fundo adscriptos habere, quia hi non sunt proprie servi. *c. 1. h. t.* Licet tamen Christianis suas operas, suasque res, ut animalia, currus, &c. Judæis locare; *arg. c. 2. h. t.* Etiam prohibitum est Christianis famulos Judæos habere domesticos, & familiares ob perverfionis periculum. *c. 8. h. t.* Nec possunt Judæi ad suos liberos lactandos habere nutrices Christianas, nec in domibus eorum, ut frequenter accidit. *c. 8. h. t.* nec extra domus, ex *Const. Paul. IV. Cum enim Et Greg. XIII. Antiqua*, nisi familiaritas cum eis cesset, vel tales liberi sint orphanis. *Gonz. in c. 8. h. t.* Casus, in quibus communicatio

cum Judæis prohibetur, referuntur in L. 8. tit. 24. p. 7.

72 Prohibito communicandi in casibus prædictis cessat, si aliqua necessitas adsit, v. g. quia alius Medicus æque peritus non invenitur. Et licet quando nimia, & continua familiaritas datur erit peccatum grave cum Judæis communicare ob perversionis periculum, non tamen si semel, vel iterum cum eis communicetur, aliqua iusta causa exculante. Cum alijs verò Paganis, & Gentilibus impure possunt Christiani communicare; quia non sunt adeò odibiles, & obstinati, ac Judæi, exceptis casibus habitacionis, & convivij, quos comprehendit decisio. *Text. in c. 5. b. t.* Sed cum sit odiosa non debet extra prædictos casus intelligi. Judæi non facile debent inter Christianos permitti, ne ex communicatione cum ipsis, & ob mala illorum exempla, scandala, blasphemias, & alia vitia Christi grex corrumpatur juxta illud: *Una mala pecus infecti omne pecus.* Et ideo ab omnibus Hispaniæ Regnis expulsi sunt, possunt tamen à Principibus Christianis in suis Regnis permitti; *arg. c. 9. b. t. L. 6. C. de Paganis.* Exemplo. R. Pontificis, qui eos Romæ permittit commorari. *Pignat. tom. 5. conf. 14. num. 71.*

73 Synagoga antiquæ ipsis permittuntur, & suorum Rituum exercitium, dum nihil in fidei contemptum faciant. *c. 9. b. t.* Et si collabantur possunt ad pristinam formam, non autem Augustiorem reparari: non tamen possunt novæ construi, imò nec antiquæ funditus everte possunt extrui. *c. 3. c. 7. b. t. L. fin. C. eod. L. 4. tit. 24. p. 7.* Nec Architectis, vel fabris Christianis licet adificare, vel reparare Synagogas Judæorum, vel Tempia Paganorum, nec vendere signa, & alia materialia, ut constentur: quia hoc esset cooperari ad Rituum Judæicorum observationem. *D. Thom. 2. 2. q. 169. art. 2. ad 4. Tempia Paganorum claudi, & destrui juventur in L. 1. C. de Pagag. nam eorum Ritus nullam Christianis utilitatem afferunt.*

74 Judæi inter Christianos commorantes, & Principibus Christianis subiecti non possunt fungi officio publico, nec jurisdictione uti, adeò ut etiam quando ipsi sunt rei, debent coram Judice Ordinario Christiano, & secundum illius Principis jura judicari. *c. 16. b. t. L. 8. C. eod. L. 5. tit. 24. p. 7.* & sic practicatur in his locis cum finis infidelibus. *Vulgo*

*Sangleyes.* Hi enim habent Judicem Ordinarium Hispanum, qui dicitur: *Alcalde de del Parian,* & alium, quali Judicem pedancum Nationis ipsorum, Christianum tamen. *L. 6. tit. 18. lib. 6. R. Ind. Judæi, vel Sarraceni habitu debent à Christianis distingui, & habitacione separari. c. 15. b. t. L. fin. tit. 24. p. 7. ibi: Que traygon alguna señal cierta sobre sus cabezas, & sic Romæ servatur, & alibi cum Judæis. Et in his locis cum finis: nam Christiani galero utuntur: comam in capite nutriunt, infideles autem non utuntur galero, sed rasum habent caput, in medio ejus quadam quasi tania capillari relicta. Judæi, & alij infideles non possunt heredes institui à Christianis, etiam consanguineis, & fratribus, nec aliquid ex eorum testamentis, nisi in casu necessitatis, saltem gravis, percipere. *c. 5. c. 6. de Heretic.* In nostra Hispania non potest hæres institui Judæus, nec Maurus; quod si instituantur, hæreditas ad proximos testatoris propinquos devolvitur. *L. fin. t. 7. p. 6. & ibid. Gregor. Lop. Nequeunt Judæi ostia, vel fenestras apertas habere in die Parasceves, seu die Veneris Sancto, c. 4. b. t. imò prohibentur tota illa hebdomada in publicum prodire. c. 15. b. t. ne Christianos irideant in creatoris contumeliam. L. 2. tit. 24. p. 7.**

75 Quando Judæi permittuntur inter Christianos commorari, non sunt in fidei festorum celebratione, nec in suis legitimis consuetudinibus injustè perturbandi, dum nihil faciant in fidei opprobrium. *c. 9. b. t.* Sicque possunt sua Sabbata celebrare, & illo tempore non debent impediri, nec in jus vocari. *L. 2. L. 11. C. b. t. L. 5. tit. 24. p. 7.* nec cæmeteria eorum sunt invadenda, nec eorum cadavera debent exhumari. *c. 9. b. t.* Judæi legitime inter Christianos recepti Jure Civium fruuntur, de suiique bonis liberè disponere valent, & quoscumque contractus, etiam cum Christianis celebrare. *Azor Inst. Moral. p. 1. lib. 8. c. 22. q. 4. Sam. b. in Decal. lib. 2. cap. 31. n. 23.* nec ab eis servitia coacta, præter consuetudinem, debent injustè extorqueri. *c. 9. b. t.* Judæi, vel alij Infideles conversi non sunt privandi suis bonis, & possessionibus: ne hoc modo deterreantur à nostra fide amplectenda, ne sint peioris, cum melioris conditionis debeant esse, quam non conversi. *c. 5. b. t. L. 6. tit. 24. p. 7.* Ideoque suis parentibus, vel cognatis succedere debent, juxta

Legem suam, scilicet Mofaycam, non juxta Jus Commune. Vid. *Gregor. Lopez in L. 6. tit. 24. p. 7. V. Como si fuesse Judios. Barb. in c. 5. b. t. n. 6.* In his locis plura privilegia, & exemptiones concedunt nostri Catholici Reges finis, & alijs Gentilibus ad fidem conversis, ut sic ceteri alliciantur veram salutis viam sequi, & præcipue per decem annos à tributis eximuntur. *L. 2. tit. 5. lib. 6. R. Ind. & idem de finis conversis disponitur in L. 7. tit. 18. lib. 6. R. Ind. & ipsis permittitur commercium, intra confinia tamen Manilæ, quin pro licentia sic nundinandi, eis aliqua gabella imponatur. L. 3. tit. 18. lib. 6. R. Ind. & alijs pluribus privilegijs, ac honoribus ad conversionem Gentiles alliciantur.*

76 Judæi, nec alij infideles possunt directe cogi inviti suscipere baptismum. *c. 9. b. t. c. 3. §. Item queritur, de Baptismo. L. 6. tit. 24. p. 7. c. 5. D. 45. ibi: De Judæis autem præcipit Sancta Synodus, nemini deinceps ad erendum vim inferri: cuius enim vult Deus miseretur, & quem vult induat: non enim tales inviti salvandi sunt, sed volentes, ut integra sit forma justitia: sicut enim homo proprij arbitrij voluntate serpenti obediens perivit, sic vocante segregata Dei propria mentis conversione, homo quisque credendo salvatur. Ergo non vi, sed liberè arbitrij facultate, ut convertantur suadendi sunt; non potius impellendi. *D. Ambros. Serm. 13. in Psalm. 118. D. Thom. 2. 2. q. 10. art. 8. Suar. de Fide. D. 18. sect. 3. q. 4. Barbof. & Gonz. in c. 9. b. t.* Nam Principes Sæculares, cum careant potestate supernaturali, solum habent potestatem politicam ad finem naturalem ordinatam, scilicet ad promovendam pacem, & felicitatem Reipublicæ: nec Ecclesia potest suam jurisdictionem, & potestatem in infideles exercere. *c. 8. de Divort. Paul. 1. ad Cor. 5. v. 12. ibi: Quid mihi de his, qui foris sunt, judicare? Hinc est quod licet infideles teneantur Jure Divino, & Naturali fidem amplecti, & coactio, ut baptismum reciperent, cederet in maximam eorum utilitatem, adhuc Ecclesia, vel Principes ex defectu legitimæ potestatis injuriam ipsis in tali coactione inferrent. Et non est faciendum malum ut eveniat bonum. Nec flagellis, exilio, vel alia poena sunt afficiendi infideles eo quod nolint baptismum recipere, sicut fecit Sisebutus nostræ Hispaniæ Rex, qui Judæos baptizari renuentes, confiscatione bonorum, exilio, & alijs poenis mule-**

tavit: ex bono quidem Religjonis zelo, & ideo Religiosissimus Princeps appellatur, in c. 5. D. 45. Indifereto tamen: & ideo tale factum fuit improbatum à Concilio Toletano, in c. 5. D. 45. *Gonz. in c. 9. b. t. n. 8.*

77 Possunt tamen infideles indirectè compelli in Ecclesiam intrare, propositis, scilicet, præmijs, privilegijs, honoribus, & exemptionibus cuicumque se ad fidem convertat. Sic *Gregorius Januario in c. 4. 23. q. 3.* præcipit, ut subditum quemcumque suum infidelem tanto pensionis onere gravet, ut ipsa exactionis suæ poena compellatur ad rectitudinem (veræ fidei) festinare. Et sic potest intelligi illud Christi Domini *Compelle intrare*: vel si hoc ad compulsionem directam intelligatur, solum de hæreticis est intelligendum cum Augustino, quia cum in eos habeat Ecclesia jurisdictionem, siquidem illius subditi sunt, possunt, debentque directe compelli. Et ideo Coelicola, quia baptizati erant, teite Augustino, sicut alij Hæretici, poterant cogi, veram fidem resumere. *L. 12. C. b. t.* In nostra Hispania non permittuntur Judæi habitare, postquam à nostro Rege Ferdinando V. qui verè catholici nomen promeruit, fuerint expulsi, ann. 1492. cum maximo omnium Nationum plausu, & postea ann. 1610. à nostro Philippo III. fuerint ejecti à nostra Hispania omnes descendentes Mauro-rum. *Hispanè: Moriscos. L. fin. tit. 2. lib. 8. R. C. & quamvis in utroque casu maxima damna temporalia nostrum Regnum sustinuit, prævaluit tamen in nostrorum Principum zelo bonum Religjonis, & desiderium vitandi periculum perversionis Christianorum, omnibus alijs commodis temporalibus: nam quilibet Princeps potest Judæos expellere à suo Regno, quando crimina committendo, privilegijs, & gratia abutuntur: quamvis non deceat Principes expellere pro arbitrio, & sine causa Judæos legitime receptos, dum honestè vivunt. *Barb. in c. 9. b. t. n. 4.**

78 Papa, vel Princeps Sæcularis potest cogere infideles suo dominio temporali subiectos, ut verbum Dei, & Evangelium audiant, ut contra *Salmeron. tom. 12. tr. 38. in Evang. & alios tenent Suar. de Fid. D. 18. sect. 2. n. 3. & comm. DD.* Et sic reservatur Romæ, & in alijs Italia Civitatibus, ubi Judæi obligantur certo die in Ecclesia convenire ad audiendum verbum Dei, ex *Const. Greg. XIII. & nostri*

Catholici Reges in varijs legibus Indiarum nihil magis cordi habent, quam quod Indii in fide Catholica instruantur. Et in L. 15. tit. 1. lib. 1. R. Indiar. jubent, quod quicumque habeat in suo servicio Indos infideles, quotidie eos mittat in Ecclesiam, ut ibidem per unam horam audiant Catechismum: quod si eorum Dominus Indos infideles impediatur, eorum servitio privetur. Infideles, qui adhuc non sunt sub dominio temporali Pontificis, vel alterius Principis Christiani, non possunt cogi praedicationem audire, cum ad hoc jurisdictione careant, tam Pontifex, quam Principes Saeculares.

79 Principi Christiano licere foedus inire cum Sarracenis, vel alijs Paganis, eoque in auxilium advocare ad bellum iustum contra alios Principes Catholicos promovendum, tenent Abb. in c. 8. de Vol. n. 15. Farinac. in Prax. Crim. q. 125. n. 90. contra alios. Dicendum tamen est, quod licet speculative loquendo, hoc possit fieri, quia nullibi prohibetur; imò Abraham foedus inijt cum Abner, Manbre, & alijs infidelibus, David, & Salomon, cum Hiram Gentili, & Machabaei cum Romanis: & postea Princeps infidelium auxilio uti, sicut solet uti ministerio elephantum, vel equorum; in praxi tamen periculosum est eorum auxilium contra Christianos implorare ob maxima scandala, vitia, peccata, contumelias, & injurias, quae in contemptum verae fidei solent ab eis perpetrari. Et ideo in Scriptura talia foedera cum Paganis prohibentur. Exod. 23. v. 32. Et Paul. 2. Cor. 6. v. 14. ait: Nolite jugum ducere cum infidelibus, &c. quae conventio Christi ad Belial? Aut qua pars fidei cum infideli? Si vero Princeps Christianus non habeat aliud auxilium, quo possit juvari, potest infideles in sui auxilium ad bellum iustum, etiam offensivum accedere. Sanch. in Decal. lib. 2. cap. 31. n. 24. Abbas, Farinac. Molina, Valent. Banez, & alij.

80 Semper, etiam tempore pacis, prohibetur sub censura, & quidem Pontifici in Bulla Coenae reservata, deferre arma, aliaque instrumenta bellica ad Sarracenos, Haereticos, & alios infideles, ne nostris subsidij nobis bellum moveant. c. 6. c. 11. c. 17. b. t. Bull. Coen. cas. 7. Et Jure Civili tales capite puniuntur, & confiscatione bonorum. L. fin. C. Quae res exportari. Et in nostra Hispania, qui arma infidelibus deferrebant, habant

servi cuiuscumque ipsos caperet, & eorum bona visco applicabantur. L. 4. tit. 21. p. 4. Hodie hoc delictum pertinet ad Inquisitores. Bobad. Polit. lib. 2. c. 17. n. 69. Caren. de Offic. Inquisit. p. 2. tit. 17. §. 20. Tempore belli inter Christianos, & Infideles omne commercium prohibetur sub censura in Bulla Coenae Pontifici reservata, ne hac occasione Christianorum, arcana ipsis prodantur. c. 12. b. t. Imo, & tempore treugae, seu induciarum. c. 11. b. t. sub eadem censura prohibetur, certiores facere infideles, vel haereticos de rebus ad Rempublicam Christianam concernentibus, vel auxilium, favorem, vel consilium in Christianorum praedictum prestare, etiam non secuto consilij effectu: & etiam infidelis ante tale consilium, jam sit paratus ad inferendum damnum Christianis. Ut contra Bonacin. tenent Ugo. ad Bull. Coen. c. 4. §. 2. Corr. idea conf. D. 6. & alij. Qui gravi metu coacti auxilium praestant infidelibus, vel haereticis contra Catholicos non incurrunt censuram: nam hoc ex benignitate Ecclesiae praesumitur; imò si tantum materialiter, & remote cooperentur, ut remiges; v. g. nec peccatum quidem committunt, nam charitas non obligat cum tanto periculo proprio, praecipue si non est probabile, posse damnum proximè vitari.

81 Judaei, si delinquant, debent puniri à Principe Saeculari, & ejus Magistratibus, in cuius territorio sunt. c. 14. b. t. possuntque à Regno expelli, & poena capitis puniri. Si vero delictum cecidat in nostrae Religionis contemptum, ab Ecclesia, & Inquisitoribus possunt puniri ex Constitutione Antiqua 70. Gregor. XIII. non tamen censura Ecclesiastica: quia non sunt membra Ecclesiae, possunt tamen hoc modo puniri indirectè, privando Christianos communicatione cum Judaeis. c. 14. b. t. idem sentiendum de eo, qui malitiosè se gerit pro Christiano, cum baptizatus non sit. Crimina Christianorum, qui Ritus Judaeorum exercent, & sunt Judaeizantes, & similiter Judaeorum, vel Sarracenorum crimina, qui baptismum valide, licet invitati, & coacti receperunt, si postea, ad suam perfidiam reverterantur, privative pertinent ad Inquisitores, qui in ipsos, & eorum fautores, defensores, & receptatores paripassim, ac contra haereticos, procedunt ex Constit. Clem. IV. Gregor. X. Nicol. IV. Greg. XI. Paul. III. Judaeos, qui consentiens bap-

tizatus est, invalidè tamen ex defectu materiae, formae, vel intentionis Ministerii, & etiam, qui fide baptismum suscepit, cum ab Ecclesia baptizatus praesumitur, ab ipsa potest puniri, si deficiat à fide. Imò debere sic puniri, qui credit, se baptizatum, etiam si de invaliditate baptismi postea constet Ecclesiae, tenent Farinac. in Praxi Crim. q. 178. num. 135. Dian. p. 4. tr. 8. ref. 78. Gonz. in c. 4. de Apost. n. 4. Dicendum tamen est, ipsum, ut haereticum, etiam si fide resiliat, non posse ab Ecclesia puniri, quia talis cum non sit per januam baptismi in Ecclesiam ingressus, non est subditus Ecclesiae, ac proinde, nec ab ea puniri valet. Suarez de Cens. D. 21. sect. 2. num. 4. Sanch. in Decal. L. 2. cap. 7. n. 34. & alij Cathecumeni, licet extraordinarie possint ab Ecclesia puniri, propter injuriam, quam ipsi faciunt, ritus damnatos exercendo, non tamen possunt, ut haeretici puniri, cum adhuc non sint in Ecclesiam ingressi.

## TIT. VII.

## De Haereticis.

82 Nomen haeresis non erat apud antiquos, & in sua primaria significatione adeò odiosum sicut est hodie: nam quaelibet particularis alicujus Scholae opinio dicebatur haeresis. Sic dicebatur haeresis Peripateticorum, vel Stoicorum illorum doctrina, vel secta, à quodam verbo Graeco, quod eligere significabat. Sic qui aliquam opinionem in materia fidei distinctam ab Ecclesiae doctrina eligebant, Haeretici dicebantur, teste D. Hieronym. in c. 27. 24. q. 3. nam suum particulare dictamen sequentes à recta via verae doctrinae divertebant. Ideò noster Sapientissimus Alphonsus in L. 1. tit. 26. p. 7. ait: Haereticus in Latin, tanto quere de cir en romance, como departimien-to; à tomò de aqui este nome Herege, porque el Herege es apartado de la Fe Catholica de los Christianos. Et sic communiter definitur: Haereticus est error intellectus liber, & pertinax contra fidem in eo, qui fidem susceperat, ex D. Aug. contra Faust. D. Thom. 2. 2. q. 11. art. 1. Suar. de Fid. D. 19. sect. 1. n. 5. & sect. 3. n. 8. Et expressè habetur in L. 1. tit. 3. lib. 8. R. C. ibi: Herege es todo aquel, que es Christiano bautizado, y no cree los Articulos de la Tom. II.

Santa Fe Catholica, & algunos de ellos. Quando tantum datur error intellectus, deest tamen pertinacia, quia forte ex simplicitate, vel etiam ex positiva sinistra informatione errat quis circa fidem, est haereticus tantum materialis. Si praeter errorem intellectus, deest pertinacia voluntatis in ejus assensu, erit haereticus formalis: in hac enim pertinacia stat formalis malitia haereticus. c. 29. 24. q. 3. c. 31. 24. q. 3. Cl. un. §. Porro; de Sum. Trin. L. 2. tit. 26. p. 7. ibi: E si por aventura non se quisieren quitar de sus propria, dehen los judgar por Hereges. Constituitque in eo, quod quis postquam cognovit aliquam veritatem, quantumvis minimam, esse definitam ab Ecclesia, eam neget, etiam per unicum momentum: siquidem malitia pertinaciae non stat in duratione temporis, sed in eo, quod quis suum iudicium praefert definitioni Ecclesiae. Sanch. in Decal. L. 7. cap. 7. à n. 2. Vasq. 12. D. 126. n. 6. Debetque quis existimare, se contravenire doctrinae Ecclesiae, ut contumax, & haereticus creditur: nam qui Episcopo; v. g. vel inquisitori non credit, etiam in materia fidei, si tamen paratus sit suum errorem deponere; si ab Ecclesia corrigatur, non est haereticus. Canus de Locis Theol. L. 12. c. 9. Vasq. 12. q. 76. art. 3. D. 226. c. 3. n. 7. Sanch. in Decal. L. 2. cap. 7. n. 25. Quando error exprimitur verbis, vel alijs signis, vel facto ipso, dicitur haereticus externa; si mente tantum retinetur, quin aliquo externo signo prodatur, dicitur haereticus mentalis, vel interna. Qui verbis, vel factis aliqui exprimit contra fidem, animo tamen fidem retinet, non est haereticus coram Deo, nec poenas Haereticorum in conscientia incurrit, quia non habet dissentium voluntarium revelationi Divinae repugnantem: in foro tamen externo haereticus praesumitur, & ut talis punitur. Suar. de Fide; D. 14. sect. ult. n. 5. Navarr. in Man. cap. 17. num. 56. & alij.

83 Qui errat in fide ex ignorantia, etiam vincibili, culpabili, crassa, & affectata, non est haereticus formalis; nam ad haereticum incurrandum est necessarium, quod quis sciens, & prudens voluntarie, & pertinaciter errorem teneat. Cl. un. §. Porro; de Sum. Trin. ibi: Qui assere, defendere, seu tenere pertinaciter praesumpserit. Et qui ignorat, etiam culpabiliter, non pertinaciter tenet. Suar. de Fid. D. 19. sect. 3. à n. 9. Sanch. in Decal. lib. 2. cap. 7. ex n. 20. Sot. in 4. D. 22. q. 2. art. 3.